

## THEMISTOCLES.

**P**Ræscriptis Regibus Themistocles Atheniensis accedat, non ipse quidem Rex, sed nec Persidis aut Græciæ Regum inferior. Hic interroganti amico inhonesto, inopi, an diuiti, sed fami, vnicam filiam in matrimonium daret: Virum sine pecunia, quam pecuniam sine viro se malle respondit: Virtutem in homine spectandam potius quàm fortunam.

## DAMOCLES.

**A**theniensibus quondam diuinos honores negantibus Alexandro, Vide te, ait Damocles, ne dum cælum custoditis, terram amittatis: Non minus sapienter dictum quàm festiuè: Qui enim potenti minora negat, maiora permittit: Et immodicus libertatis vsus, seruitutis occasio est: Et his quidem dicto, ac vicinis eorum facto sapiens inuentus est.

## AGESILAUS.

**A**gesilaus Lacedæmonius, deprehensa coniuratione scelestorum ciuium, aduersus salutem publicam, cum eos nec raptim, aut citra iuris ordinem condemnare posset, nec de indemnatis secundum

dum